



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum causæ repudij debeant in libello scribi? 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Sic ergo prima Duo concedimus.

Ad tertium dicendum, quòd sterilitas & alia huiusmodi, sunt causa odij: & sic sunt causæ remota.

Ad quartum dicendum, quòd propter virtutem non est aliquis odibilis per se loquendo: quia bonitas causa est amoris. Et ideò ratio non sequitur.

Ad quintum dicendum, quòd dabatur in pœnam viri, quòd non posset in perpetuum repudiare uxorem in casu illo, sicut etiam in alio casu quando puellam deflorauerat.

ARTIC. VII.

386

Utrum causa repudij deberent in libello scribi?

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd causæ repudij deberent in libello scribi. Quia per libellum repudij scriptum, à pœna legis absoluebatur. Sed hoc omnino videtur iniustum, nisi causis sufficientibus repudij assignatis. Ergo illas oportebat scribere in libello.

¶ 2 Præterea, Ad nihil aliud illa scriptura valere videbatur, nisi ut causa repudij ostenderentur. Ergo si non inscribebantur, frustra libellus ille tradebatur sibi.

*li 4. sent.
d. 33. S.
C.*

¶ 3 Præterea, Hoc Magister dicit in littera*. SED contra, Causæ repudij aut erant sufficientes, aut non. Si sufficientes, præcludebatur mulieri via ad secundas nuptias, quæ ei secundum legem concedebantur. Si autem insufficientes, ostendebatur iniustum repudium, & sic repudium fieri non poterat. Ergo nullo modo causæ repudij ibi in speciali inscribebantur.

*lib. 4. antiq. c. 6.
circa medium.
* lib. 19. cont. Faustum c. 26
circa pr. co. 6.*

RESPONDEO dicendum, quòd causæ repudij in speciali non scribebantur in libello, sed in generali, ut ostenderetur iustum repudium. Sed secundum Iosephum*, ut mulier habens libellum conscriptum de repudio, alteri nubere posset, alias enim ei creditum non fuisset. Vnde in eo erat scriptura talis secundum eum, Promitto tibi, quòd numquam tecum conueniam. Sed secundum Augustinum*, ideò libellus scribebatur,

debetur, vt mora interueniente & consilio Scribarum dissuadente, viro a proposito repudiandi desisteret.

Et per hoc patet solutio Ad obiecta.

QVÆST. LXVIII.

De filijs illegitime natis, in tres articulos diuisa.

Deinde considerandum est de filijs illegitime natis.

¶ Et circa hoc quaeruntur tria.

- ¶ Primo, vtrum qui nascuntur extra verum matrimonium, sint illegitimi?
- ¶ Secundo, vtrum illegitimi filij debeant ex hoc, damnum reportare?
- ¶ Tertio, vtrum possint legitimari?

ARTIC. I.

Vtrum filij qui nascuntur extra verum matrimonium, sint legitimi?

278

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod filij qui nascuntur extra verum matrimonium, sint legitimi. Quia secundum legem natus, legitimus filius dicitur. Sed quilibet nascitur secundum legem ad minus natura, quæ fortissima est. Ergo quilibet filius dicitur legitimus.

Tho. 4 d.
41. q. vni
ca, ar. 3.
q. 1. c.
seq.

¶ 2 Præterea, Communiter dicitur, quod legitimus filius est, qui est de legitimo matrimonio natus, vel de eo quod in facie Ecclesie legitimum reputatur. Sed contingit quandoque, quod aliquod matrimonium legitimum repuretur in facie Ecclesie, quod habet impedimentum ne sit verum matrimonium, & tamen a contrahentibus in facie Ecclesie scitur: & si occulte nubant, & impedimentum nesciant, legitimum videtur in facie Ecclesie; ex quo per Ecclesiam non prohibetur. Ergo filij extra verum matrimonium nati, non sunt illegitimi.

SED contra, illegitimum dicitur quod est contra legem. Sed illi qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem. Ergo sunt illegitimi.

RESPONDEO dicendum, quod quadruplex status est